



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

**Stoz, Matthäus**

**Anno M.DC.LXXXIX.**

§. 4. Resolutiones de indirecta violatione Sigilli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

nim pœnitens ob metum alicujus incommodi, confusionis, vel aliam causam nolit revelari, Cajum fecisse in nundinis lucrum, Titium esse occisum, Mævium esse hominem asperum, Sempronium esse adulterum, vel Mutium fuisse aliquando furto vel vulnere læsum, se habere tales gratias divinas, virtutes &c. tunc confessarius, qui id advertit, & tamen aliquid horum ex sola confessione sibi notum patefacit aliis, verè frangit sigillum. *sup. n. 191.* Si autem advertat pœnitentis nihil interesse, nec ab eo curari ejusmodi patefactionem, tunc sigillum quidem non frangit, potest tamen adhuc peccare contra Justitiam, si occulta aliorum delicta manifestet, v. g. Mævii asperitatem, Sempronii adulterium &c.

Quodsi pœnitens virtutes suas, & gratias divinas in confessione explicet non ratione alicujus peccati circa illas commissi, sed tantum ut status animæ suæ sit confessario melius perspectus, tunc nullo modo cadunt sub sigillum, sed tantum sub secretum naturale; quod quandoque ex justa causa etiam sine licentia pœnitentis potest revelari. Et sic intelligenda sunt dicta *sup. cit. n. 191.*

## §. IV.

*Resolutiones de indirecta violatione sigilli.*

234. Indirectè violat sigillum, qui extra confessionem aliquid dicit, vel facit positivè aut negativè, vel aliud signum edit, unde alius certæ personæ peccatum, vel simile quid, quod sub sigillum cadit, & ipse ex sola confessione novit, potest agnoscere, aut prudenter colligere, vel saltem

suspiciari *sup. n. 192.* adeoque sigillum indirectè frangit

I. Qui simpliciter dicit, *Cajum v. g. sibi confessum esse, sed non absolvisse.* Ratio, quia etsi ob multas alias causas fieri possit, ut confessarius aliquem non absolvat; apud omnes tamen ex hoc dicto ita simpliciter prolato oritur suspicio, id factum esse ob aliquem gravem defectum pœnitentis. *Fag. Præc. 2. lib. 6. cap. 5. n. 9. Coninch. cit. Diss. 9. n. 14. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 8. Lug. Diss. 23. n. 84. & alii sup. n. 182. contra Cajet. Armill. Henriquez.* Debet ergo necessariò adjungi semper causa aliqua, quæ in nullo pœnitentis gravamen cedat, v. g. *ex mea oblivione, occupatione &c.* Unde nec licet dicere: *non absolvi Cajum ob interveniens impedimentum:* contra Palao *de pœnit. p. 19. §. 3. n. 3. vel ob defectum materia:* contra Lugo. *l. c. nisi constet impedimentum illud non fuisse aliquam culpam pœnitentis, sed ipsius vel confessarii v. g. infirmitatem corporalem, occupationem celebrandi, concionandi &c. & nisi constet defectum materiæ provenisse tantum ex innocentia pœnitentis, non ex ejus imperitia, impœnitentia, neglectu examinis &c.* *Fag. cit. n. 9. in fine. & Dian. p. 5. tr. 11. Res. 42. Dicast. l. c. n. 112. & fortè etiam hoc solum vult Palao & Lugo.*

Interrogatus proinde an eum, quem non absolvit, absolverit, non potest respondere affirmativè, quia mentiretur; nec negativè, quia indirectè frangeret sigillum: solum ergo hoc dicere potest: *illum esse confessum, & se fecisse suum officium.* *Reginald. lib. 3. n. 48. Lugo n. 85.* ubi etiam addit, si pœnitens ipse se non fuisse

fuisse absolutum fateatur, confessarium non posse respondere: *ipse ita dicit*: quia hoc modo dictum penitentis videretur approbare, & eo ipso significare, quod eum non absolverit. Sed hoc ita limitandum censeo, nisi penitens coram ipso confessario id diceret; quia tunc ipso facto daret confessario licentiam, id etiam revelandi. *sup. n. 197.* Si publicus peccator confessus, sed non absolutus, petat postea à confessario Eucharistiam & dicat, se fuisse ab eo absolutum, non potest confessarius ullo modo falsitatis eum arguere; potest tamen & debet ei Eucharistiam publicè petenti negare, dicendo de absolutione hinc jam non agitur; sed tu, cum sis publicus peccator, debes ante communionem publicam etiam publicè ostendere, te mutasse tuum malum statum. *Reginald. l.c. n. 51. Lug. l.c. n. 88.* Quid agendum, si iste privatim, vel si occultus tantum peccator petat, dicam *inf. n. 251.*

Ex quibus constat, quod Parochi & alii, cum alicui moribundo Sacrum viaticum vel extremam unctionem dare debent, non rectè interrogent confessarium: an illum absolverit; quia si fortè non absolvit, conjiciunt confessarium in periculum frangendi sigilli, cum apertè respondere non possit. Hoc solum ergo interrogent: an æger sit confessus. *Reginald. cit. n. 51.*

235. II. Qui schedam factæ confessionis testem, quam passim aliis dat, negat illi, qui, postquam sua peccata, saltem aliqua, verè cum animo se de iis accusandi manifestavit, sed ob aliquam sui indispositionem absolvi non potest, eam petit; maximè si debeat aliis exhibere.

*Fagund. Prac. 2. lib. 6. cap. 4. n. 40. Coninch. l.c. Laym. cit. cap. 14. n. 8. Dian. p. 5. tr. 11. Res. 22. cum multis aliis contra Bonac. tom. 1. Diss. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 7. Lug. l.c. n. 87. Dicast. l.c. n. 119. & alios, quorum aliqui, uti & Henriquez apud Fag. putant, esse in optione Confessarii peccati schedam dare vel non dare. Sed ratio nostræ assertionis est clara. Nam omnes, qui sciunt confessarium passim suis penitentibus dare ejusmodi schedam, & simul sciunt, Cajum v.g. ipsi etiam esse confessum, schedamque petisse, sed confessarium ei negasse, ex ipsa ista negatione in his circumstantiis factâ sufficienter agnoscunt, vel certè meritò suspicantur, Cajum ob gravem suam culpam fuisse judicatum schedâ indignum, & non esse absolutum; atqui contra sigillum est non tantum si quid tale verbo (ut videretur velle Lugo) sed etiam si factò aliòve signo prodatur. *cap. omnis utriusque. 13. de penit. & remiss.* Et verè Confessarius tenetur tali penitenti, si petat, Eucharistiam dare; cur non & schedam?*

Dando autem schedam Confessarius non approbat Confessionem, ut putat Lugo; sed tantum testatur, eum esse confessum; quod verum est. Unde nec mentitur; & si penitentem debite dehortetur ab omni abusu schedæ; non censetur cooperari ulli ejus malo: imò confessarius potest & debet dare schedam publico quoque peccatori, etiam perseveranti in suo malo statu, si tamen iste dicto modo confessus sit; quia per schedam testatur de confessione tantum, non de emendatione.

Quod si

Quod si quis simul et tantum se confiteri, tunc & potest & deberi negari petita scheda. *sup. n. 220.* potestque Confessarius, sicut de quovis alio, ita & de illo (cavendo tamen ejus infamiam) dicere: *Iste non est mihi confessus*; quia hoc non novit, nec dicit ex ejus confessione, cum nullam fecerit, sed tantum simulaverit se facere. *Tamb. de Conf. lib. 5. cap. 3. §. 9. n. 16.*

236. III. Qui, cum ex sola Confessione Titii intellexit, ab ipso esse occisum Mævium; deinde dicit, Titium adfuisse, vel: non longè abfuisse, cum occideretur Mævius. *Coninch. l. c. n. 14.* Reddit enim Titium suspectum de homicidio & exponit illum periculo, ne à Magistratu ut conscius vocetur ad Examen, in eoque delictum ipsius manifestetur.

237. IV. Qui pœnitentiam à se personæ determinatæ impositam revelat, si quidem sit gravis. *Lug. cit. Disp. 23. n. 89.* Nam omnes, qui audiunt, statim inde colligunt pœnitentem graviter peccasse; quia pœnitentia gravis non solet nisi pro gravi culpa imponi. Et hinc *Dian. p. 5. r. 11. Ref. 31.* meritò pro violatore sigilli habuit, qui dixit de aliquo certo homine, se illi pro pœnitentia injunxisse recitationem Coronæ B. V. Idem est, si Confessarius jungat alicui pœnitentiam gravem, quam non aliter quàm coram aliis peragere potest: nisi pœnitens expresso, & libero consensu acceptet. *Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 14.*

Quod si pœnitentia, quam quis dicit se illi vel illi imposuisse, sit tantum levis, qualis ordinariè pro solis venialibus solet injungi, v. g. *Psalmus brevis*, vel unum *Pater & Ave*; Imò juxta *Dian.* etiam

unum *Miserere*, aut *quinque Pater & Ave*, tunc sigillum non frangi censent DD. communiter. Sed quia hoc æquivalente est idem ac dicere: *iste vel iste est confessus venialia*, ut ait *Lugo*; ideo sicut istud, ita & illud potest quandoque esse contra sigillum, de quo *sup. n. 224.* Et quia dicere, se alicui injunxisse *Miserere*, vel *quinque Pater & Ave*: semper indicat, eum saltem venialia, quæ sint vel multa vel gravia, commisisse, semper id erit contra sigillum, ut etiam dictum *sup. n. 191.* & observavit *Dicastillo n. 122.* Ad quod fortè *Dian.* se non reflexit.

238. V. Qui de suo pœnitente dicit, illum hoc vel istud peccatum, quod fecisse constat, vel constare poterit, non esse confessum. *Laym. cit. cap. 14. n. 6. v. simile. Palaode pœnit. Disp. un. p. 19. §. 3. n. 2.* quia reddit pœnitentem suspectum de Confessione non integrè, adeoque malè facta. Et hinc cum ex duobus pœnitentibus ille, qui prius confitetur, se non accusavit de peccato, quod posterior fatetur se cum illo commisisse, franget Confessarius sigillum, si verbo vel factò ostendat, priorem id non fuisse confessum. *Fag. cit. lib. 6. cap. 4. n. 37. in fine.* ubi monet, hoc esse pro praxi valde bene notandum Confessariis. Sic & cum de delictis magnatum, officialium, mercatorum, conjugum &c. fiat quandoque mentio coram eorundem Confessariis, facilè accedere potest, ut isti tunc prorumpant & dicant, eostalia non confiteri, non esse confessos, &c. agantque hoc modo contra sigillum.

239. VI. Qui coram aliis dicit: *Hodie mulier, miles, parochus, &c. confessus est tale & tale peccatum*; quia etiam non

non nominet personam pœnitentis, exprimendo tamen ejus qualitatem, & circumstantiam temporis, jam dicit & facit aliquid, unde persona pœnitentis possit vel verè agnosci, vel in suspicionem venire. Fag. l.c. cap. 5. n. 13. ergo exponit se periculo frangendi sigilli sine justa causa, & hoc ipso peccat contra sigillum. vide *sup. n. 205. & 226.*

240. VII. Qui, cum de duobus vel pluribus suis pœnitentibus vel ipse ultrò loquitur, vel de iis alii loquuntur, unum vel unam valde laudat, & commendat ab innocentia, nullum adhuc commississe peccatum mortale, habere adhuc inviolatam castitatem, fugere omnia ejus pericula, quoad loca, personas &c. istam matronam esse optimam, virtuosissimam, istam ancillam fidissimam, piissimam &c. de aliis autem suis pœnitentibus, de quibus eadem tunc est loquendi occasio, nihil dicit, sed tacet. Reginald. l. 3. n. 50. Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 5. Laym. cit. cap. 14. n. 7. Palao cit. p. 19. §. 3. n. 2. quia Confessarius hoc ipso modo loquendi de uno, & tacendi de aliis præbet audientibus & videntibus occasionem suspicandi, quòd ceteri ejus pœnitentes amiserint innocentiam, peccaverint mortaliter, violaverint castitatem &c. Et quamvis non omnis ille, qui de pluribus loquens dicit, hunc esse optimum, virtuosissimum &c. censetur propterea indicare, alios esse malos, vitiosos &c. communiter tamen censetur id indicare Confessarius, si ita loquatur de pluribus suis pœnitentibus; sive jam simul, & eodem tempore, ut vult Fag. l.c. sive etiam diverso, & hodie de uno, cras & aliis diebus de alio atque alio; cum etiam sic videatur lo-

R. P. Szoz Trib. Pœnit. Lib. II.

qui de uno comparative & respectivè ad alios.

Debent proinde Confessarii omnino valde cavere, ne de suis pœnitentibus tam inæquali modo loquendi utantur: nisi, ut Palao limitat, specialis aliqua ratio subfit; qualis v.g. esse potest, si de aliis quidem etiam mentio fiat, sed aliquis singulariter de illius tantum, quem promovere cogitat, laude interroget, & Confessarius propterea illum solum laudet; sed absolute, non comparative. Nam dicendo ex sola Confessionis notitia, illum esse aliis meliorem, esset contra sigillum. Vel nisi, ut Dicast. cit. Disp. 12. n. 98. limitat, excessus bonitatis in uno præ aliis sit tantus, ut cuius, qui cum illo agit, statim pateat, & propterea aliis nihil deroget.

Et sic excusari potest Confessarius, qui cum unius valde pii ex suis pœnitentibus vita scribenda est, dicit Historico, eum nunquam peccasse mortaliter. Si autem, cum postea alterius quoque vita ex ejus pœnitentibus suscipitur describenda, rursus de testimonio conveniatur, & simile non det, aut tergiversetur dare, non video, quomodo indirectam sigilli violationem satis evitet.

241. VIII. Qui dicit, Cajum sibi esse confessum, vel se illum absolvisse, et si ordinariè non frangat sigillum, ut dictum *sup. n. 224.* potest tamen sæpe fieri, ut violet Secretum naturale; imò & ut sigillum quoque frangat indirectè. Reginald. lib. 3. n. 54. Dian. p. 5. tr. 11. Res. 47. Si enim Cajus v.g. clam, & in occulto alicui alteri, quam suo ordinario confiteatur, simulque vel expressis verbis roget, vel ipso clanculario suo accessu in-

T

dicet

dicet se velle, ut nemini id pateat; tunc Confessarius manifestans aliis, sibi illum esse confessum, peccat contra Secretum naturale; & frangit simul etiam indirectè Sigillum, quia sic ingerit aliis suspicionem de gravi aliquo peccato Caji; cum communiter pœnitentes cenſentur propterea ita clam subterfugere suos ordinarios, si de nulla alia causa constet. Et verò vel maximè frangit ille, qui cum non sit ordinarius Confessarius Regularium, dicit tamen sibi confessum esse hunc vel hunc Religiosum, si de isto constet, quòd ordinario, cui semper solet, etiam tunc potuerit confiteri, nec alteri possit sine speciali licentia superioris. Audientes enim statim concipiunt suspicionem, id factum esse ob aliquem catum reservatum. Lugo cit. *Disp. 23. n. 65.* Quod si quis aliquando, ordinario suo Confessario præterito, confiteatur alteri, sed palam coram aliis, vel in loco publico, tunc neque illi qui vident, neque Confessarius quidquam agit contra sigillum, si aliis id etiam manifestent, quia hoc ipso, quòd præsentibus aliis, vel in publico confiteatur, dat omnibus videntibus licentiam id manifestandi. Unde

242. IX. Qui dicit de aliquo suo pœnitente, Confessionem illius fuisse valde longam, durasse tot, & tot horis, diebus &c. frangit indirectè sigillum, si pœnitens clam & in loco secreto fuit confessus, nolitque id ab aliis resciri; quia hoc ipso Confessarius occasionem præbet suspicandi ipsum multa peccata habuisse. At verò si pœnitens in loco publico v. g. templo, Sacristiâ, vel alio passim pervio faciat suam Confessionem, tunc ipso facto dat & Confessario, & aliis eum in con-

fessionalibus videntibus licentiam liberè de eius durtinitate loquendi. Nemo enim vult ea servari in secreto, quæ ipse scienter & voluntariè dicit, vel agit in publico. Vide Gobat *tr. 7. n. 927.*

Plures alios casus, qui huc pertinent, involvit illa non minùs celebris, quàm ob varias DD. valde inter se discordantium opiniones intricata Quæstio.

## SECTIO V.

### *De usu notitiæ Confessionis.*

243. Tota difficultas, & opinionum varietas inde videtur promanare, quòd multi, quæ de servando sigillo unacum aliis tradiderunt universaliter, hinc variis limitationibus putent alteranda vel immutanda. Omnia enim satis plana erunt, si firma fixaque maneant, ut omnino manere debent, jam supra posita fundamenta, quæ hinc amplius confirmare expedit.

### §. I.

#### *Generalia Principia de usu notitiæ Confessionis.*

I. Nunquam licet aliquid, quod ex sola Confessione cognitum est, & sub sigillum cadit, v. g. peccatum unacum persona pœnitentis sine ejus licentia directè vel indirectè revelare aliis *sup. n. 192.*

II. Nunquam etiam licet ulli, ut verbo vel facto, directè vel indirectè præbeat ipsi pœnitenti extra Confessionem sine ejus licentia indicium, aut occasionem prudenter suspicandi, se illius peccatum, vel aliud, quod sub sigillum cadit, & ex sola Confessione notum est, scire; sive